

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs  
antiquaeq. lectioni restitutus**

Continens Orationum Volumen Primum

**Cicero, Marcus Tullius**

**Venetiis, 1583**

M Tvllii Ciceronis Actio Prima In C Verrem Oratio V

[urn:nbn:de:gbv:45:1-764059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-764059)



# M. TVLLII. CICERONIS

## ACTIO PRIMA IN C. VERREM

### II TORATIO VVAQ



**Q**UOD erat optandum maxime, iudices, & quod unum ad inuidiam uestri ordinis, infamiamq. iudiciorum sedandam maxime pertinebat, id non humano consilio, sed prope diuinitus datum, atque oblatum uobis summo reip. tempore uideretur. inueterauit enim in opinio, perniciose reip. uobisq. periculosa, quae non modo Romae, sed & apud exteras nationes omnium sermone percrebuit, his iudicijs, quae nunc sint, pecuniosum hominem, quamuis sit nocens, neminem posse damnari. nunc in ipso discrimine ordinis iudiciorumq. uestrorum, cum sint parati, qui concionibus & legibus hanc inuidiam senatus instammare conentur, reus in iudicium adductus est C. Verres, homo uita, atque factis, omnium iam opinione, damnatus, pecuniae magnitudine, sua spe, ac praedicatione absolutus. Huic ego causae, iudices, cum summa uoluntate, & expectatione populi R. actor accessi; non ut augerem inuidiam ordinis, sed ut infamiae communi succurrerem. adduxi enim hominem, in quo reconciliare existimationem iudiciorum amissam, redire in gratiam cum populo R. satisfacere exteris nationibus possetis, depeculatorem aerarij, uexatorem Asiae, atque Pamphyliae, praedonem iuris urbani, labem atque perniciem provinciae Siciliae. de quo si uos seuerè, religioseq. iudicaueritis, auctoritas ea, quae in uobis remanere debet, haerebit. sin istius ingentes diuitiae iudiciorum religionem ueritatemq. perfrigerint: ego hoc tamen assequar, ut iudicium potius reip. quam aut reus iudicibus, aut accusator reo defuisse uideatur. equidem, ut de me confitear, iudices, cum multae mihi a C. Verre insidiae terra mariq. factae sint, quas partim mea diligentia deuitarim, partim amicorum studio, officioq. repule-

rim; namquam tamen neque tantum periculum mihi adire uisus sum, neque tantopere pertimui, ut nunc in ipso iudicio. neque tantum me expectatio accusationis meae, concursusq. tantae multitudinis, quibus ego rebus uehementissime perturbor, commouet; quantum istius insidiae nefariae, quas uno tempore mihi, uobis, M. Glabrioni praetori, socijs, exteris nationibus, ordini, nomini denique senatorio facere conatur. qui ita dicitur, is esse metuentum, qui, quod ipsis solis satis esset, surripisset; se tantum rapuisse, ut id multis satis esse possit; nihil esse tam sanctum, quod non uiolari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit. quod si, quam audax est ad conandum, tam esset obscurus in agendo: fortasse aliquando nos aliquando fessellisset: uerum hoc adhuc percomode cadit, quod cum incredibili eius audacia singularis stultitia coniuncta est. nam, ut apertus in corripendis pecunijs fuit, sic in spe corrumpendi iudicij perspicua sua consilia, conatusq. omnibus fecit. semel ait se in uita pertimuisse, tum, cum primum reus a me factus sit: quod, cum e provincia recens esset, inuidiaq. & infamia non recenti, sed uetere ac diuina flegaret, tum ad iudicium corrumpendum tempus alienum offenderet. itaque, cum ego diem in Sicilia inquirendi perexiguam postulauissem, inueni iste, qui sibi in Achaia biduo breuiorem diem postularet: non ut idem conficeret diligentem, & industria sua, quod ego meo labore, & uigilijs consecutus sum: etenim ille Achaicus inquisitor ne Brundisium quidem peruenit: ego Siciliae totam quinquaginta diebus sit obij, ut omnium populorum, priuatorumq. literas, iniuriasq. cognoscerem: ut perspicuum cuius esse possit, hominem ab isto quaestum esse, non qui reum suum adduceret, sed qui meum tempus obsideret.

## EXPLANATIO



**Q**UOD erat optandum? quid enim optabilius ordini senatorio, quam accusationem dari, qua conceptam per annos decem turpitudinem, infamiamq. iudiciorum delere liceat, ac tollere? **MAXIME**? uenustatis quiddam habet, Quod erat optandum maxime, & quod unum ad inuidiam uestri ordinis, infamiamq. iudiciorum sedandam maxime pertinebat. aut enim interdum delectat iteratio eiusdem uerbi. **IUDICIORVM**? quae cum ab equestri ordine lege C. Gracchi administrarentur, L. Sulla uictor ea transtulit ad senatum. **SUMMO reip. tempore**? extremo: cum id resp. uehementer postulabat. **UOBISQ. periculosa**,? timendum enim, ne propterea equestris ordo ad iudicandum uocetur. **QUAE nunc sint**,? quae nunc per senatores fiunt. **CONCIONIBVS**,? tribunos pl. significat, occasionem semper aliquam aucupantes de senatorio ordine detrahendi. **LEGBVS**? de iudicijs ad equites transferendis. quam legem tulit hoc anno L. Cotta praetor. de quo sic lib. III. Quid possumus contra illum praetorem dicere, qui quotidie templum tenet, qui temp. negat stare posse, ni ad equestrem ordinem iudicia referantur? **NON UT augerem inuidiam ordinis**,? non ut praecuaricarer: non ut quemquam aut ipse corrumperem, aut a reo, eiusue suffragatoribus corrumpti linerem. quae commissa sunt antea, magna uestri ordinis inuidia, cum eiusmodi causae a pueris nobilibus, quos elusit Hortensius, uel a quadruplatoribus, quos idem non sine causa semper contempsit, agerentur. **DEPECULATOREM aerarij**,? cum esset Cn. Carbonis consulis quaestor. lib. I. in Verrem. **UEXATOREM Asiae, atque Pamphyliae**,? cum legatus, & proquaestor Dolabellae. Asia enim hic pro Cilicia, Dolabellae provincia, ponitur, ut lib. I. **HI sunt anni consumpti in quaestura**, & legatione Asiatica. **Ibidem**: Cum Verrem ex Asia decedentem prosequeretur, iusta Dolabellae



Dolabellae fuisse una cum M. Sami. Et infra: Cum tibi se tota Asia spoliandam ac uevandam tradidisset; cum tibi exposita esset omnis ad praedandum Pamphylia; contentus his tam optimis rebus non fuisti? Lib. III. Qui sociorum iniurijs, prouinciarumq. incommodis doleat; is in re non expilatio-  
 ne Asiae, uexatione Pamphyliae, squalore & lacrymis Siciliae concitetur? *IVRS URBANI*? cum praetor urbanus. *PROVINCIAE Siciliae*? cum ei praetor per triennium praefuit. *IN VOBIS remanere*? non ad alium ordinem transferri. *HAEREBIT*? permanebit, non auferetur. Minatur tacite mutationem iudiciorum, si Verres absoluatur. *RELIGIONEM, ueritatemq.*? cum dixerit: Si uos feuerere, religioseq. iudicaueritis: hic subiungendum uidetur, Religionem, feueritatemq. ut eadem referantur. Et infra: Nulla in iudicijs feueritas, nulla religio, nulla denique iam existimantur esse iudicia. Nec me tamen fugit, ueritatem pro iustitia, ac feueritate solere usurpari, ut lib. IV. Agitur existimatio, ueritasq. iudiciorum. Et pro *Quinctio*: Cum in tuam, C. Aquilli, fidem, ueritatem, misericordiam P. Quinctius confugerit. Religionem autem a iudicibus postulat, quia iurati sententiam ferebant. Infra: Suscipe causam religionis. Et lib. II. Si facultatem uere atque honeste iudicandi fide & diligentia mea fecero. Quare, si cui, Veritatem, placet; aut si quis, Vere, religioseq. supra legere maluerit, ut locus loco ipsidem uerbis respondeat: non contendam. *TERRA, mariq.*? cum e Sicilia, collectis tabulis, litteris, & auctoritatibus, in Verrem, Romam rediit. Insidias alias, eius uidelicet existimationi factas, & praemia praeruaricationis proposita, non putabit hic significari, qui perpendet quod proxime sequitur, Quas partim &c. quod ideo dictum uolui, quia mihi uerba Pediani scrupulum iniecerunt. Transijt autem a Vibone Veliam, ut eas insidias uitaret. Lib. II. A Vibone Veliam paruulo nauigio, inter fugitiuorum, ac praedonum, ac tua tela uenissem. *QVI ista dicitur*,? oratoris est, ea dicentem reum inducere, quae iudices illi inuenios, inimicosq. reddant. hoc artificio saepe Cicero utitur: ut infert: Semel ait se in uita permississe. Et paulo post: Ut hoc palam didicisset, non sine causa se cupidum pecuniae fuisse, quoniam tantum in pecunia praesidium experiatur esse. *NON recenti*? argute. Recens quidem ipse erat prouincia, non tamen recens ea, qua flagrabat, inuidia. *FLAGRANT*? apud iudices, populumq. Romanum, cum hoc uerbo consentit illud supra: Qui hanc inuidiam senatus inflammare conentur. *TEMPVS alienum*? quia reus a me factus esset: quo actore, non erat, quod in suis diuitijs ullam spem collocaret: cum ego is essem, cuius diligentia nefarijs illius insidijs posset occurrere. *PER EXIGVAM*? centum & decem dies. lib. I. *BIDVO breuiorem*? centum & octo dies. *POSTVLARET*? ut ita mihi uel agendi locus adimeretur; uel, si ille, id quod accidit, neminem accusaret, saltem mihi dies multos, ad agendum in primis oppositos, eriperet, dum illius ex Achaia reditus expectaretur, quem expectari necesse erat, quia breuiorem, quam ego, diem inquirendi postulasset. Prior autem accusabat is, qui breuiorem ad inquirendum diem postulauerat, cuius generis exemplum hoc est apud Pedianum. Caepio Scaurum reum fecit repetundarum. Scaurus tanta fuit constantia animi, & magnitudine, ut Caepionem contra reum detulerit, & breuiore die inquisitionis accepta, effecerit, ut ille prior causam diceret. Verrem ille Achaicus inquisitor neminem accusare cogitauit; quod res ipsa ostendit; sed Cicero tempus eripere, quam iniuriam lib. I. queritur his uerbis: Interposuistis accusatorem, qui, cum ego mihi centum & decem dies solos in Siciliam postulasset, centum & octo sibi in Achaiam postularet. menses mihi tres cum eripuissetis, ad agendum maxime appositos; reliquum omne tempus huius anni me uobis remissurum putastis. *NON UT idem conficeret*,? qui sibi in Achaiam biduo breuiorem diem postulauit, non id ei propositum fuit, quod ego meo labore, meisq. uigilijs in Sicilia praestiti, ut in Achaia inuestigaret, & colligeret ea, quae ad reum condemnandum pertinebant: non enim accusare quemquam uoluit: sed id spectauit, a Verre scilicet inductus, ut mihi tempus eriperet. *NON QVI reum suum adduceret*,? non qui reuera accusare eum uellet, quem reum fecisset, & cuius causa tempus illud in Achaiam eundi postulasset: sed qui reditus meum tempus obsideret, id est, obsisteret, atque impediret, ne ego ante ad agendam causam possem accedere, quam illi centum & octo dies, ab ipso in Achaiam postulati, omnes praeterissent. lib. I.

## ORATIO

**N**unc homo audacissimus, atque amentissimus hoc cogitat: intelligit me ita paratum, atque instructum in iudicium uenire, ut non modo in auribus uestris, sed in oculis omnium sua furta, atque flagitia desixurus sim: uidet senatores multos esse testes audaciae suae: uidet multos equites R. frequentes praeter ea ciues, atque socios, quibus ipse insignes iniurias fecerit: uidet etiam tot graues ab amicissimis ciuitatibus legationes cum publicis auctoritatibus, ac testimonijs conuenisse. quae cum ita sint; usque eo de omnibus bonis male existimat; usque eo senatoria iudicia perditita prostrigataq. esse arbitratur; ut hoc palam dicitur, non sine causa se cupidum pecuniae fuisse,

quoniam tantum in pecunia praesidium experiatur esse. sese, id quod difficillimum fuerit, tempus ipsum emisse iudicij sui, quo cetera facilius emere posset, ut, quoniam criminum uim subterfugere nullo modo poterat, procellam temporis deuitaret. quod, si non modo in causa, uerum in aliquo honesto praesidio, aut in alicuius eloquentia, aut gratia spem aliquam collocasset: profecto non haec omnia colligeret, atque auuiparetur; non usque eo despiceret, contemneretq. ordinem senatorium, ut arbitratu eius diligeretur ex senatu qui reus fieret, qui, dum hic, quae opus essent, compararet, causam interea ante eum diceret. quibus ego rebus quid iste speret, & quo animum intendat, facile perspicio:

O

perspicio:



perspicio: quamobrem uero se confidat aliquid perspicere posse hoc praetore, & hoc consilio, intelligere non possum. unum illud intelligo, quod populus R. in reiectione iudicum iudicauit; ea spe istum fuisse praeditum, ut omnem rationem salutis in pecunia poneret; hoc erepto praesidio, ut nullam sibi rem adiumento

fore arbitraretur. etenim, quod est ingenium tantum, quae tanta facultas dicendi, & copia, quae istius uitae tot uitijis stagitijisq. consuetam, iam pridem omnium uoluntate, iudicioq. damnatum, aliqua ex parte posse defendere?

## EXPLANATIO

**N**UNC alia Verres malitia. **HOMO** audacissimus, atque amentissimus; utiijis plus est in amentia, quam in audacia. nam audacia non deseritur a mente: amentia uero furor est, unde abest omnis ratio, & a quo homines ad omne facinus, inopia mentis, & cogitationis, impelluntur. pertinet ad hanc significationem, quod lib. I. dicitur: Quae, malum, est ista tanta audacia, atque amentia? Et lib. III. An tu decumas, homo audacissime, atque amentissime, uendidisti? Ibidem infra: His te litteris homo audacissime, atque amentissime iugulatum sentis? Et lib. IV. Audite etiam singularem eius cupiditatem, audaciam, amentiam, in is praesertim sacris polluentis, quae non modo manibus attingi, sed ne cogitatione quidem uiolari fas fuit. Hoc cogitat, & id, quod infra palam eum dictitatem inducit, ideo se tempus emisse iudicij sui, quo cetera posset facilius emere. **NON** MODO in auribus uestris, sed in oculis omnium; quod ab accusatore postulari, dixit in Diuin. his uerbis: In mentem tibi non uenit, quid negotij sit, causam publicam sustinere? uitam alterius totam explicare? atque eam non modo in animis iudicum, sed etiam in oculis, conspectuq. omnium exponere? **ESSE** testes audaciae suae: quibus insignes fecerit iniurias in Sicilia. **AB** AMICISSIMIS ciuitatibus; amicissimis populi Romani. **PERDITA**, profligataq. uidetur, quod Afconius quoque animaduertit, perdita non possint itaque alibi idem Cicero Profligata primum, deinde, ad maiorem uim indicandam, Perdita subiecit, ut pro Amerino: Omnia in eo ad perniciem profligata, atque perdita. Et in Verrem lib. III. Profligatissimus omnium mortaliu, ac perditissimus. **TEMPVS** emisse iudicij sui, & pecunia effecisse, ut res ita duceretur, ut anno sequenti apud M. Metellum, sui amantissimum, cui quaestio repetundarum obtigerat, causa diceretur. **CETERA**; iudices ipsos, qui tunc erunt. **FACILIVS**; facilius anno sequenti: quod hoc anno, tali praetore, tali consilio, non modo difficilius esset; uerum etiam fieri nullo modo posse uideretur. **VI** CRIMINUM; quae a me proferentur. **PROCELLAM** temporis; impendentem ab optimo praetore, optimisq. iudicibus. Et apte, Procellam, quia dixerat, Subterfugere; ut translationem absoluat. **IN** CAUSSA, & in sua innocentia. **NON** HAEC omnia colligeret, & quae colligit ad causae tempus extrahendum. **ARBITRATV** eius; uel nocens, uel innocens. **QVI** reus fieret, & ab illo, qui sibi in Achaia biduo breuiorem, quam ego in Sicilia, diem postulauit. **DVM** HIC, quae opus essent, compararet, & quae opus essent ad protrahendum actionis meae tempus, aut ad corrumpendum iudicium: quod eum sperare miror, hoc praetore, & hoc consilio. **IN** REIECTIONE iudicum; utrimque iudices reiciebantur: sed Verres, qui maxime iustitiae laude praestabant, eos reiecit. Lib. I.

## ORATIO

**C**UIVS ut adolescentiae maculas, ignominiasq. praeter eam, quaestura, primus gradus honoris, quid aliud habet in se, nisi Cn. Carbonem spoliatum a quaestore suo pecunia publica; nudatum, & proditum consulem; desertum exercitum; relictam prouinciam; sortis necessitudinem, religionemq. uiolatam; cuius legatio exitium fuit Asiae totius, & Pamphiliae. quibus in prouincijs multas domos, plurimas urbes, omnia fana depeculatus est; cum in Cn. Dolabellam scelus suum illud pristinum renouauit & instaurauit quaestorium; cum eum, cui legatus, & proquaestor fuisset, & in inuidiam suis maleficijs adduxit, & in ipsis periculis non solum deseruit, sed etiam oppugnauit, ac prodidit. cuius praetura urbana aedium sacrarum fuit, publicorumq. operum depopulatio: simul in iure dicendo, bonorum possessionumq. contra omnium instituta addictio, & condonatio. iam uero omnium uitiorum suorum plurima, & maxima constituit monumenta, & indicia in prouincia Sicilia: quam ille per triennium ita uexauit, ac perdidit, ut ea restitui in antiquum statum nullo modo possit, uix autem per multos annos, innocentesq. praetores

aliqua ex parte recreari aliquando posse uideatur. hoc praetore Siculi neque suas leges, neque nostra S. C. neque communia iura tenuerunt. tantum quisque habet in Sicilia, quantum hominis auarissimi, & libidinosissimi aut imprudentiam subterfugit, aut satietati superfuit. nulla res per triennium, nisi ad nutum istius, iudicata est: nulla res cuiusquam tam patrita, atque uitata fuit, quae non ab eo, imperio istius, abiudicaretur. innumerabiles pecuniae ex aratorum bonis nouo nefarioq. instituto coactae: socij fidelissimi in hostium numero existimati: ciues Romani seruilem in modum exuerati, & necati: homines nocentissimi propter pecuniam in iudicio liberati, honestissimi, atque integerrimi, absentes rei facti, indicta causa damnati, & eiectionis porus inimicissimi, maximae tutissimaeq. urbes piratis, praedonibusq. patefactae: nauadae, militesq. Siculorum, socij nostri, atque amici fame necati: classes optimae, atque opportunissimae cum magna ignominia populi R. amissae, & perditae. idem iste praetor monumenta antiquissima partim regum locupletissimorum, quae illi ornamenta urbibus esse uoluerunt, partim etiam nostrorum imperatorum,



peratorum, quae uictores ciuitatibus Siculis aut dederunt, spoliavit, nudauitq. omnia. neque hoc solum in statuis publicis, ornamentisq. fecit: sed etiam delubra omnia, sanctissimis religionibus consecrata, depeculatus est, deum denique nullum Siculis, qui ei paulo magis affabre, atque antiquo artificio factus uideretur, reliquit. In stupris uero, & flagitijs nefarias eius libidines commemorare, pudore deterreor: simul illorum calamitatem commemorando augere nolo, quibus liberos, coniugesq. suas integras ab istius petulantia conseruare non licitum est. At enim haec ita commissa sunt ab isto, ut non cognita sint ab omnibus. Hominem esse arbitror neminem, qui nomen istius audierit, quin facta quoque eius nefaria commemorare possit: ut mihi magis timendum sit, ne multa crimina praetermittere, quam ne qua in istum fingere existi-

mer. neque enim mihi uidetur haec multitudo, quae ad audiendum conuenit, cognoscere ex me causam uoluisse, sed ea, quae scit, mecum recognoscere. quae cum ita sint: iste, homo amens, ac perditus, alia mecum ratione pugnat: non id agit, ut alicuius eloquentiam mihi opponat: non gratia, non auctoritate cuiusquam, non potentia nititur: simulat, his se rebus confidere. sed uideo, quid agat: neque enim agit occultissime: proponit inania mihi nobilitatis, hoc est hominum arrogantium, nomina: qui non tam me impediunt, quod nobiles sunt; quam adiuuant, quod noti sunt, simulat se eorum praesidio confidere, cum interea aliud quiddam iamdiu machinetur, quam spem nunc habeat in manibus, & quid molitur, breuiter iam, iudices, exponam: sed prius, ut ab initio res ab eo constituta sit, quaeso cognoscere.

## EXPLANATIO

**A**DOLESCENTIAE maculas, & quae leuiora sunt, aut etiam ignorantur, ea fingit orator a se praeteriri: ut lib. I. Nihil a me de pueritiae suae flagitijs, peccatisq. audiet. Et paulo post: Lucretur indicia ueteris infamiae: patiatur eius uita reliqua, me hanc tantam iacturam criminum facere. Et in Vatinius: Atque illud tenebrosissimum tempus iuuentutis tuae patiar latere. **CN. CARBONEM** & iterum consullem: Lib. I. Quaestor **Cn. Papirio** consuli fuisti abhinc annos quattuordecim. **RELICTAM** provinciam: & hanc historiam exposuit pluribus uerbis lib. I. **RELIGIONEM** & quam cum necessitudine fors affert. In Diuini Commemorare quaestoris cum praetore necessitudinem: morem maiorum: fortis religionem: **LEGATIO** & cum Dolabella. **ASIAE** & cui Nero praeeerat: in qua, & in Achaia, (per has enim provincias in suam provinciam Ciliciam proficiscens cum Dolabella transijt, ac postea quoque in Ciliciam in Asiam redijt) quae scelera Verres commiserit, lib. I. narratur. **QUAESTORIUM**: & qualis in Carbonem fuit, cui quaestor erat: talem se praebuit in Dolabellam, cui legatus, & proquaestor fuerat: ut consullem prodiderat, ita praetorem prodidit. **IN IIS** ipsis periculis & cum accusaretur a Scauro: **OPPVGNAVIT**, ac prodidit. & lib. I. **M. Scaurus**, qui **Cn. Dolabellam** accusauit, istum in sua potestate, ac ditione tenuit. **AEDIVM** sacrarum, publicorumq. operum: quae ad curam praetoris urbani pertinebant, lib. I. **ADDICTIO**, & addixit, ac tradidit quibus uoluit, pro imperio, neglectis aliorum praetorum institutis. **TENERVNT**, & contra Verres libidinem Siculis neque suae leges, neque nostra **S. C.** in communia quidem iura opem ullam attulerunt. **IMPRUDENTIAM** subterfugit, & recte sic, non, ut alijs placuit, Imprudentia. Propter imprudentiam, inquit, Verres, aut propter eiusdem fatietatem, aliquid Siculis relictum est. Proprie uero, & eleganter, Subterfugit imprudentiam, Superfuit fatietati. Nec minus eleganter lib. III. eodem sensu: Quibus quod tum aut remissum, aut relictum sit, id fuisse tantum, quantum ex eo, quo istius auaritia contenta fuit, redundarit. **AD NVTVM** istius, & praetor enim ipse non iudicabat, sed recuperatores dabat, a quibus iudicaretur, ij uero ad nutum Verres omnia iudicarunt. Ex oratorum bonis & percurrit hic breuiter, quae fusius exponit in accusatione, suis locis. **REGVM** & Agathoclis, & Hieronis. **AVT** dederunt, aut reddiderunt. & dedit, id est conseruauit **Marcellus**, **Syraculis** captis: quae uero **Carthaginenses** e Sicilia asportauerant, ea, illis deuictis, in Siciliam relata suis sedibus restituit maior **Africanus**. **DEVM** denique nullum Siculis, & in Diuini. Sese iam ne deos quidem in suis urbibus, ad quos confugerent, habere; quod eorum simulacra sanctissima **C. Verres** ex delubris religiosissimis fustulisset. **AT ENIM** haec ita commissa sunt ab isto, ut non cognita sint omnibus. & obiectio per ironiam duobus modis inducitur, uel cum, At enim, ut hic, & in Diuini. At enim solum, id est, ut me Siculi maxime uelint: alterum illud, credo, obscurum, a quo Verres minime se accusari uelit. Vel cum, At credo, ut lib. I. At credo in hisce solis rebus indomitas cupiditates, atque effrenatas habebat: Ceterae libidines eius ratione aliqua, aut modo continebantur. **PROPONIT** & in quo simulat: nam aliud quiddam iamdiu machinatur. **INANIA** nomina & quasi uirtus absit. Ad **Appium**: Quaeso, etiam ne tu has ineptias, homo mea sententia summa prudentia, summa etiam doctrina, plurimo rerum usu, addo urbanitatem quae est uirtus, ut Stoici rectissime putant, ullam Appietatem, aut Lentilitatem ualere apud me plus, quam ornamenta uirtutis, existimas? cum ea consecutus nondum eram, quae sunt hominum opinionibus amplissima: tamen ista uestra nomina numquam sum admiratus: uiros eos, qui ea uobis reliquissent, magnos arbitrabar. **NOBILITATIS** & hominum nobilium, qui Verri fauebant, ij erant, **Q. Hortensius**, patronus eius, consul designatus; tres **Metelli**; quorum **Quinctus** consul erat designatus; **Marcus**, praetor designatus; **Lucius**, Siciliae praeeerat; **C. Curio**, consularis; **Q. Metellus Pius** **Scipio**, a **Metello Pio**, **Numidici** filio, adoptatus, qui postea **Magni Pompeij** focer fuit. quamquam non unus suffragatus est **Scipio**, sed **Scipiones** omnes, propter gentilitatem: erat enim **Corneliae** gentis **Verres**.





hoc & Pedianus in Diuinationis proemio significat, ut plurimum Metellorum, sic plurimum quoque Scipionum, qui Verrem defenderent, mentione facta. Accessit, inquit, non ignobilis futura de Verre uictoria, qui a Metellis, Scipionibus, & multis alijs nobilibus uiris, & praecipue ab Hortensio ipso defenderetur. *HOMINUM arrogantium*, & nihil uerius, nam arrogantia, & superbia, commune nobilitatis malum est. Lib. I. Tantum dicam, paucos homines, ut leuissime dicam, arrogantes. Et Salustius in Jug. Metellum Numidicum, alioqui uirum integerrimum, communi nobilitatis malo superbia laborasse dicit. *Quod noti sunt* idest infames, nam Notus opponitur Nobili: ut pro Coelio: Res est omnis in hac causa, iudices, cum Clodia, muliere non solum nobili, sed etiam nota, Et pro Flacco: Homines apud nos noti, inter suos nobiles.

## O R A T I O

**V**T primum e provincia redijt, redemptio est huius iudicij facta grandi pecunia. ea mansit in condicione atque pacto usque ad eum finem, dum iudices reiecti sunt. postea quam reiectio iudicum facta est: quod & in sortitione, istius spem fortuna populi R. & in reuicendis iudicibus mea diligentia istorum impudentiam uicerat; renunciata est rota conductio. praeclare se res habebat: libelli nominum uestrorum, consilijq. huius in manibus erant omnium: nulla nota, nullus color, nullae sordes uidebantur his sententijs alini posse: cum iste repente ex alacri, atque laeto sic erat humilis, atque demissus, ut non modo populo R. sed etiam sibi ipse condemnatus uideretur. ecce autem repente, his diebus paucis, comitijs consularibus factis, eadem illa uetera consilia pecunia maiore repetuntur, eademq. uestrae famae, fortunisque omnium insidiae per eosdem homines comparantur. quae res primo, iudices, pertenui nobis argumento, iudicioq. patefacta est, post aperto suspitionis introitu ad omnia intima istorum consilia sine ullo errore peruenimus. nam, ut Hortensius, consul designatus, domum reducatur e campo, cum maxima frequentia, a multitudine; fit obuiam casu ei multitudini C. Curio. quem ego hominem honoris potius, quam contumeliae causa nominatum uolo. etenim ea dicam, quae ille si commemorari uoluisset, non tanto in conuentu, tam aperte, palamq. dixisset: quae tamen a me pedetentim, cauteq. dicentur, ut amicitiae nostrae, & dignitatis illius habita ratio esse intelligatur. Videt ad ipsam fornicem Fabianum in turba Verrem: appellat hominem, & ei nocte maxima uictoriam gratulatur: ipsi Hortensio, qui consul erat factus, propinquis necessarijsq. eius, qui tum aderant, uerbum nullum facit: cum hoc conspexit, hunc amplexatur, hunc iubet sine cura esse. renuncio, inquit, tibi, te hodiernis comitijs esse absolutum. quod cum tam multi homines honestissimi audissent, statim ad me defertur, immo uero, ut quisque me uiderat, narrabat. alijs illud indignum, alijs ridiculum uidebatur: ridiculum ijs, qui istius causam in testium fide, in criminum ratione, in iudicum potestate, non in comitijs consularibus, positam arbitrabantur: indignum ijs, qui alius perspiciebant, & hanc gratulationem adiudicium corrumpendum spectare arbitrabantur. etenim sic ratiocinabantur, sic honestissimi homines inter se, & mecum loquebantur, aperte iam & perspicue nulla esse iudicia: qui reus pridem iam ipse se condemnatum putabat, is, postea quam defensor eius consul est factus, absoluitur. Quid igitur? quod tota Sicilia, quod omnes Siculi, omnes negotiatores, omnes publicae prinataeq. literae Romae

sunt, nihil ne id ualebit: nihil, inuito consule designato. Quid iudices? non crimina, non testes, non estimationem populi R. sequentur? non: omnia in unius potestate, ac moderatione uertentur. Vere loquar, iudices. uehementer me haec res commouebat. optimus enim quisque ita loquebatur: iste quidem tibi eripietur, sed nos non tenebimus iudicia diuitijs. etenim, quis poterit, Verre absoluto, de transferendis iudicij recensare? erat omnibus molestum: neque eos tam istius perditu subita laetitia, quam hominis amplissimi noua gratulatio, commouebat. Cupiebam dissimulare, me id moleste ferre: cupiebam animi dolorem uultu regere, & taciturnitate celare. ecce autem illis ipsis diebus, cum praetores designati sortirentur, & M. Metello obligisset, ut is de pecunijs repetundis quaereret; nunciatur mihi, tantam isti gratulationem esse factam, ut is quoque domum mitteret, qui uxori suae nunciarent. sane ne haec quidem res mihi placebat: neque tamen, quid tantopere in hac sorte metuendum mihi esset, intelligebam: unum illud ex hominibus certis, ex quibus omnia comperi, reperiiebam, fisco complures cum pecunia Siciliensi a quodam senatore ad equitem R. esse translatos: ex his quasi x. fisco ad senatorem illum relictos esse comitorum meorum nomine: diuisores omnium tribuum noctu ad istum uocatos. ex quibus quidam, qui se omnia mea causa debere arbitrabatur, eadem illa nocte ad me uenit: demonstrat, qua iste oratione usus esset: commemorasse istum, quam liberaliter eos tractasset, & iam antea, cum ipse praeturam petisset, & proximis consularibus, praetorijsq. comitijs; deinde esse pollicitum quantum uellent pecuniae, si me aedilitate deiecerent: hic alios negasse audere; alios respondisse, non putare perfici posse: inuentum tamen esse fortem amicum, ex eadem familia, Q. Verrem Romilia, ex optima diuisorum disciplina, patris istius discipulum, atque amicum, qui HS quingentis millibus depositis, id se perfecturum polliceretur: & fuisse tamen nonnullos, qui se iudicatos esse dicerent. quae cum ita essent: sane beneuolo animo me, ut magnopere cauerem, praemonstrabat. Sollicitabar rebus maximis uno, atque eo perexiguuo tempore. urgebant comitia: & his ipsis oppugnabar grandi pecunia. instabat iudicium: ei quoque negotio fisci Sicilienses minabantur. agere, quae ad iudicium pertinebant, libere, comitorum metu deterrebar: petitioni toto animo seruire, propter iudicium non licebat: minari denique diuisoribus, ratio non erat, propterea quod eos intelligere uidebam, me hoc iudicio districtum, atque obligatum futurum. atque hoc ipso tempore Siculis denunciatum esse audio, primum ab



num ab Hortensio, domum ad illum ut uenirent: Siculos sane in eo liberos fuisse; qui, quamobrem accerferentur, cum intelligerent, non uenissent, interea comitia nostra, quorum iste se, ut ceterorum hoc anno comitorum, dominum esse arbitrabatur, haberi coepta sunt. cursare iste, homo potens, cum filio blando, & gratioso circum tribus: paternos amicos, hoc est diuisores, appellare omnes, & conuenire. quod cum esset intellectum, & animaduersum, fecit animo libentissimo populus R. ut, cuius diuitiae me de fide deducere non potuissent, ne eiusdem pecunijs de honore deiceret. postea quam illa petitionis magna cura li-

beratus sum, animo coepi multo magis uacuo, ac soluto nihil aliud, nisi de iudicio, agere, & cogitare. reperio, iudices, haec ab istis consilia imita, & constituta, ut, quacumque opus esse ratione, res ita duceretur, ut apud M. Metellum praetorem causa diceretur: in eo esse haec commoda, primum M. Metellum amicissimum, deinde Hortensium consulem, non solum, sed etiam Q. Metellum: qui quam isti sit amicus, attendite: dedit enim praerogatiuam suae uoluntatis eiusmodi, ut isti pro praerogatiuis iam reddidisse uideatur.

EXPLANATIO

**R**EDEMPTIO est huius iudicij facta: dedit negotium corrupendi peritis hominibus, qui sibi iudices emerent; facta uero iudicum sortitione, & reiectione, cum ij iudices remansissent, apud quos religio, & ueritas plus, quam pecunia, posse uideretur, renunciata est a redemptoribus, de corruptione desperantibus, tota illa conductio. **IN SORTITIONE** conferiebantur e senatu iudices. eorum nominibus in urnam coniectis, praetor urbanus eum numerum sortiebatur, qui necessarius esset. sortitionem reiectione, reiectionem subsortitio sequebatur. **FORTUNA** fortunae munus fuit, quod optimi senatores, de Verre iudicaturi, ex urna sint educti. **MEA diligentia** quia, si quis mihi suspectior esset, eum reieci. **NYLLA nota, nullus color, nullae sordes** acerbe in Hortensium: cuius opera, corrupto iudicio, discoloribus ceris tabellas abfoluentium iudicum notatas fuisse, dixit in Diuin. **His sententijs** talium iudicium. **COMITIIS consularibus factis**, VI. Kal. Sext. accusationis uero primus dies fuit nonae Sext. ut infra: Nonae sunt hodie Sextiles. **C. CVRIO** pater eius, qui Caesaris partes ciuili bello defendens, in Africa perijt. **PEDETENTIM** non impulsus odio, non incitatus iracundia, sic prorsus, ut de meo nihil addam. **IN TVRBA** quae Hortensium e campo domum reducebat. **QVID igitur: quod tota Sicilia**, tota haec inducitur narratio ad iudicum animos contra Hortensij, consulis designati, pro Verre pugnantis, gratiam, auctoritatemq. confirmandos. **NEGOTIATORES**, ciues Romani. **NIHIL inuito consule designato**, loquitur ex persona Verris amicum. **MODERATIONE** gubernatione, administratione. **ITA loquebatur**, non quae supra dicta sunt, quae ab ijs, qui Verri fauerent, dicta finguntur; sed quae subiiciuntur statim. **HOMINIS amplissimi** Curionis, consularis, & triumphalis. **IN HAC sorte** M. Metelli: cum is non hoc anno, sed sequenti, quaesiturus esset de repetundis. **CVM pecunia Siciliensi** quam Verres in Sicilia furatus, tradidit senatori, ut is eam ad equitem Romanum, exercitatum in primis in pecunia tribus diuideda, transferret. **COMITIORYM meorum nomine**, ut aedilitate deiceret. Aedilis designatus erat, cum haec diceret: ut infra. **DUIVIORES omnium tribuum** qui in legibus permittebantur. unde illud in epist. ad Att. I. I. Sextus, pater eius, nummos uobis diuidere solebat. Plautus etiam in Aul. Diuidere nummos in uiros. **CONSULARIBVS, praetorijsq.** ut Hortensius & Q. Metellus consules, M. Metellus praetor designaretur. **SI ME aedilitate deiecessent**, aedilicia comitia post consularia, praetoriaq. fiebant. **FORTEM** qui uideret negotium suscipere. **ROMILIA** tribu: de qua, & reliquis iam diximus. **DISCIPVLM** in nummis populo, etiam contra leges, diuidendis. **HS QVINGENTIS millibus** scutorum quindecim millibus. **MINABANTVR.** uerebar, ne quem corrumperent. **RATIO non erat**, nihil enim profecissem: cum intelligerent, occupatum me iudicio repetundarum eos accusare non posse. **BLANDO, & gratioso** laudare uidetur, & uituperat. probos enim adolescentes blanditiae, lasciuarum mulierum propriae, non decent. gratiam uero significat aetatis flore collectam. quo spectat illud lib. II. Syraculana ciuitas dedit ipsi statuam: & honos: & patri: bella haec pietatis, & quaestiuosa simulatio: & filio: ferri hoc potest: hunc enim puerum non oderunt. **FECIT animo libentissimo populus Romanus, ut,** sic locutus & lib. II. Fecerunt, ut me, cuius fidem, continentiamq. cognouerant, prope de uitae meae statu dolore ac lacrymis suis deducerent. **Alibi. DE FIDE** fingit Verrem praerogationis praemia sibi detulisse. **POSTEA QVAM** postea quam aedilis designatus sum. **PRAEROGATI- VAM** significationem, & iudicium. **PRO praerogatiuis** quas ei Verres comitijs consularibus pecunia sua dederat. Iocatur in ambigua significatione praerogatiuae. Bina comitia, utraque tributa, de iisdem candidatis fieri solita, & ideo praerogatiuas duas hic significari, unam, quae primis, alteram quae secundis comitijs suffragium ferret, quarum iudicium reliquae fere tribus omnes sequebantur, in Pediano legimus. quod probari posse uix puto. nam hic non de tributis comitijs, quibus creabantur minores magistratus, sed de centuriatis, qua maiores, agi constat. itaque praerogatiuas centurias, non tribus, a Cicerone dici arbitror, unam, qua comitijs consularibus creatus est consul Q. Metellus, alteram, qua praetoris frater eius M. Metellus praetor. iisdem enim comitijs consules, & praetores, qui maiores erant magistratus, creabantur.

ORATIO



## O R A T I O

**A**N me taciturnum tantis de rebus existimauistis? & in tanto reip. existimationisq. meae periculo cuiquam consulturum potius, quam officio, & dignitati meae? Accersit alter consul designatus Siculos: ueniunt non nulli, propterea quod L. Metellus esset praetor in Sicilia: cum is ita loquitur, se consulem esse, fratrem suum alterum Siciliam prouinciam obtrahere, alterum esse quaesiturum de pecunijs repetundis: Verri ne noceri possit, multis rationibus esse prouisum. Quid est, quaeso, Metelle iudicium corrumpere, si hoc non est, testes, praesertim Siculos, timidos homines, & afflictos, non solum auctoritate deterere, sed etiam consulari metu, & duorum praetorum potestate? quid faceres pro homine innocente, & propinquo, cum propter hominem perditissimum, atque alienissimum de officio, ac dignitate decedis, & committis, ut, quod ille dicitur, alicui, qui te ignorat, uerum esse uideatur? nam hoc Verrem dicere aiebant te non fato, ut ceteros ex uestra familia, sed opera sua consulem factum. Duo igitur consules, & quaesitor erunt ex illis uoluntate. non solum effugiemus, inquit, hominem in quaerendo nimium diligentem, nimium seruientem populi existimationi, M. Glabriorem:

accedet nobis etiam illud: iudex est M. Caesonius, collega nostri accusatoris, homo in rebus iudicandis spectatus, & cognitus: quem minime expediat esse in eo consilio, quod conuenit aliqua ratione corrumpere: propterea quod iam antea, cum iudex in Iuniano consilio fuisset, turpissimum illud facinus non solum grauer tulerit, sed etiam in medium protulit. hunc iudicem ex kal. Ian. non habebimus, Q. Manlium, & Q. Cornificium, duos seuerissimos, atque integerrimos iudices, quod tribuni pl. tum erunt, iudices non habebimus. P. Sulpicius, iudex tristis, & integer, magistratum ineat necesse est nonis Dec. M. Creperius, ex acerrima illa equestri familia, & disciplina; L. Cassius, ex familia tum ad ceteras res, tum ad iudicandum seuerissima; Cn. Tremellius, homo summa religione, & diligentia; tres hi, homines ueteres, tribuni militares sunt designati, ex kal. Ian. non iudicabunt. subfortiemur etiam in M. Metelli locum; quoniam is huic ipsi quaestioni praefuturus est. ita secundum kal. Ian. & praetore, & prope toto consilio commutato, magnas accusatoris minas, magnamq. iudicij expectationem ad nostrum arbitrium, libramq. eludemus.

## E X P L A N A T I O

**A**CCERSIT alter consul designatus Siculos: haec est praerogatiua, quam supra datam a Q. Metello dixit. ERUNT ex illius uoluntate. § anno sequenti. COLLEGA nostri accusatoris, § aedilis cur, cum Tullio designatus. itaque, cum inierit magistratum, aedilicio districtus munere iudex esse non poterit. IN REBUS iudicandis § modus loquendi, pro, in iudicando. Infra: Eos pecuniam obrem iudicandam accepisse. Et: Si in rebus iudicandis populi Romani existimationi satisfacere uoluissent. Et: Alium omnino ordinem ad res iudicandas quaerendum arbitrarentur. Et lib. II. Parcite, & conseruate; ut sit, qui uobiscum res iudicet. Ibidem: Quos is, qui seueriora iudicia desideret, arbitrentur res iudicare oportere. Et alibi saepissime. IN IUNIANO consilio § cum Oppianicus, iudice quaestionis Iunio, damnatus est. tunc enim Caesonius iudex & uacauit ipse culpa, & qui corrupti erant iudices, ut Stalenus, Bulbus, Gutta, eos indicauit. pro Cluentio. IUDICES non habebimus. § non modo post Kal. Ian. sed etiam post IV. id. Dec. quo die magistratum inibant tribuni pl. ut docet Dionysius. TRISTIS, & integer, § seuerus, & probus. ornat eum eadem laude, qua duos superiores. NONIS Dec. § & hunc tribunum pl. esse designatum, Pedianus ostendit: sed minor primum magistratus diem non eundem esse, quem Dionysius assignat. ILLA equestri familia, § equestri loco natum: nam nunc senatorem esse Creperium, ex eo liquet, quia iudex est. DISCIPLINA § iudicandi, tum, cum iudicia penes equestrem ordinem erant. EX FAMILLA ad iudicandum seuerissima, § ex qua fuit ille Cassius, de quo sic in orat. pro Sex. Roscio? L. Cassius ille, quem populus Romanus uerissimum, & sapientissimum iudicem putabat, identidem in causis quaerere solebat, cui bono fuisset. HOMINES ueteres, § antiquae seueritatis in iudicando. METELLI § praetoris designati, cui quaestio de repetundis obuenerat.

## O R A T I O

**N**ONAE sunt hodie Sextiles: hora nona conuenire coepistis. hunc diem iam ne numerant quidem. decem dies sunt ante ludos uotinos, quos Cn. Pompeius facturus est. hi ludi dies quindecim auferent: deinde continuo Romani consequentur. ita prope XI diebus interpositis, tum denique se ad ea, quae a nobis dicta erunt, responsuros esse arbitrarentur: deinde se ducturos & dicendo, & excusando facile ad ludos

Victoriae: cum his plebeios esse coniunctos, secundum quos aut nulli, aut pauci dies ad agendum futuri sunt: ita, defessa, ac refrigerata accusatione, rem integram ad M. Metellum praetorem esse uenturam. quem ego hominem, si eius fidei diffusus essem, iudicem non retinuissem. nunc tamen eo animo sum, ut eo iudice, quam praetore, hanc rem transigi malim, & iurato suam, quam iniurato aliorum tabellas committere.

Nunc



Nunc ego, iudices, iam uos consulo, quid mihi faciendum putetis, id enim consilij mihi profecto taciti dabitur, quod egomet mihi necessario capiendum intelligo, si uar ad dicendum meo legitimo tempore: mei laboris, industriae, diligentiaeque, capiam fructum, & ex accusatione perficiam, ut nemo unquam post hominum memoriam paratior, uigilantior, compositior ad iudicium uenisse uideatur. sed in hac laude industriae meae, reus ne elabatur, summum periculum est. quid est igitur, quod fieri possit? non obscurum, opinor, neque absconditum. fructum istum laudis, qui ex perpetua oratione percipi potuit, in alia tempora reseruemus: nunc hominem tabulis, testibus, priuatis, publicisque

litteris, auctoritatibusque, accusemus. Res omnis mihi tecum erit, Hortensi. dicam aperte. si te mecum dicendo, ac diluendis criminibus in hac causa contendere putarem: ego quoque in accusando, atque in explicandis criminibus, operam consumerem. nunc, quoniam pugnare contra me instituisti non tam ex tua natura, quam ex istius tempore, & causa, malitiose: necesse est, istiusmodi rationi aliquo consilio obsistere. tua ratio est, ut secundum binos ludos mihi respondere incipias; mea, ut ante primos ludos comperendinem. ita fiet, ut tua ista ratio existimetur astuta, meum hoc consilium necessarium. uerum illud, quod institueram dicere, mihi rem tecum esse, huiusmodi est.

## EXPLANATIO

**D**ECIM dies & qui cum tam pauci sint, a me quidem perorari, sed agi utrimque causa non poterit. **I**nfra. **L**YDOS uotiuos & ob Sertorium diuictum. **C**ONTINVO & oratorie, nam, quattuor diebus interiecto, consequebantur. **P**ROPE XL & XXXIIX erant, ut fasti dierum ueteres declarant. nam ludi Romani, pr. non. Sept. commisi, pr. id. absoluebantur. ita dies nouem auferebant. In factis ueterum dierum post hos ludos Romanos, biduo interiecto, alij ludi Romani, in circo per quinque continuos dies habiti, leguntur: quos arbitror institutos esse post hoc tempus, quo Verres accusatus est. aliqui Cicero eos ante ludos Victoriae nominasset. nec uero nominari possunt, cum Cicero dicat, Prope XL diebus interpositis: qui plures essent, quam XL, si ad eos accederent quinque dies, aut etiam quattuor. nam quintus post annos multos additus est in honorem Caesaris dictatoris: ut in Phil. II. scriptum est. Praeterea, quod infra dicitur: Tua ratio est, ut post binos ludos mihi respondere incipias, ostendit, binos tantum, non trinos esse ludos a nonis Sext. ad ludos Victoriae. **Q**VAE A ME dicta erunt, & dicta diebus illis, qui sunt ante ludos uotiuos, & qui post, ante Romanos. **L**YDOS Victoriae, & qui committebantur VI. Kal. Oct. & per quinque dies fiebant, instituit eos L. Sulla, Telepho; Samnitum duce, dubia pugna uicto. Velleius lib. II. **P**LEBEIOS esse coniunctos, & hoc oratorie quattuor diebus interest. **A**UT nulli, aut pauci & propter ferias, festosque dies, ep. I. lib. II. ad Q. fr. Senatus fuit frequentior, quam putabamus esse posse mense Decembri, sub dies festos. De ferijs autem, festisque, simul diebus, lib. II. de leg. Feriarum, festorumque dierum ratio in liberis quietem habebat, & iurgiorum, in feruis operum, ac laborum. **I**VRATO suam, & iudices iurabant, praetor non iurabat. **R**ES omnis mihi tecum erit, Hortensi. & hoc quale sit, interpretatur infra pluribus uerbis. **B**INOS ludos & uotiuos, & Romanos. **C**OMPERENDINEM. & ut acta semel utrimque causa, iterum utrimque agatur. nam ea comperendinatio est. actione priore defensor accusatori respondebat, posteriore defensori accusator. ita bis uterque causam agebat, sed accusator primus, & ultimus. quae colliguntur ex lib. I. Hoc autem non oratione perpetua, sed testibus ad singula crimina editis, Cicero consecutus est: qua arte facultatem ademit Hortensio causa protrahendae: cum in testibus interrogandis haerere, & consistere cogere, & ipse Verres, cui consilia non procederent, sponte in exilium discessit.

## ORATIO

**E**GO cum hanc causam Siculorum rogatu recepissim; idque mihi amplum, & praeclarum existimassim, eos uelle meae fidei, diligentiaeque, periculum facere, qui innocentiae, abstinentiaeque, fecissent: tum, suscepto negotio, maius mihi quiddam proposui, in quo meam in reip. uoluntatem populus Rom. perspicere posset. nam illud mihi nequaquam dignum industria conatuque meo uidebatur, istum a me in iudicium, iam omnium iudicio condemnatum, uocari, nisi ista tua intolerabilis potentia, & ea cupiditas, qua per hosce annos in quibusdam iudicij usus es, etiam in istius hominis desperati causa interponeretur. nunc uero, quoniam haec te omnis dominatio, regnumque iudiciorum tantopere delectat; & sunt homines, quos libidinis, infamiaeque, suae neque pudeat, neque taedeat; qui quasi de industria in odium offensionemque populi R. irruere

uideantur: hoc me profiteor suscepisse, magnum fortasse onus, & mihi periculosum, uerum tamen dignum, in quo omnes neruos aetatis, industriaeque, meae contenderem. quoniam totus ordo, paucorum improbitate, & audacia, premitur, & urgetur infamia iudiciorum: profiteor, huic generi hominum me inimicum, accusatorem, odiosum, assiduum, acerbum aduersarium. hoc mihi sumo: hoc mihi depono; quod agam in magistratu, quod agam ex eo loco, ex quo me populus R. ex Kal. Ian. secum agere de rep. ac de hominibus improbis uoluit. hoc minus aedilitatis meae populo R. amplissimum, pulcherrimumque polliceor. moneo, praedico, ante denuncio: qui aut deponere, aut accipere, aut recipere, aut polliceri, aut sequestres, aut interpretes corrumpendi iudicij solent esse, quiq. ad hanc rem aut potentiam, aut impudentiam suam professi sunt, abstineant



abstineant in hoc iudicio manus, animosq. ab hoc scelere nefario. erit tum consul Hortensius cum summo imperio, & potestate: ego autem aedilis, hoc est paullo amplius, quam priuatus. tamen haec huiusmodi res est, quam me acturum esse polliceor, ita populo R. grata, atque incunda, ut ipse consul in hac causa prae minus etiam, si fieri possit, quam priuatus, esse uideatur. omnia non modo commemorabuntur, sed etiam, expositis certis rebus, agentur, quae intra decem annos, postea quam iudicia ad senatum translata sunt, in rebus indicandis nefarie, flagitioseque facta sunt. cognoscet ex me populus R. quid sit, quamobrem, cum equester ordo iudicaret, annos prope quinquaginta continuos nullo iudice equite R. iudicante ne tenuissima quidem suspicio acceptae pecuniae ob rem indicandam constituta sit: quid sit, quod, iudicis ad senatorium ordinem translatis, sublataque populi R. in unumquemque nostrum potestate, Q. Calidius damnatus dixerit, minoris HS tricies praetorium hominem honeste non

posse damnari: quid sit, quod, P. Septimio senatore damnato, Q. Hortensio praetore, de pecuniis repetundis, lris aestimata sit eo nomine, quod ille ob rem indicandam pecuniam accepisset: quod in C. Hierennio, quod in C. Popillio senatoribus, qui ambo peculatus damnati sunt, quod in M. Atilio, qui de maiestate damnatus est, hoc planum factum est, eos pecuniam ob rem indicandam accepisse: quod inuenti sunt senatores, qui, C. Verre praetore urbano sortiente, exirent in eum reum, quem incognita causa condemnarent: quod inuentus est senator, qui cum iudex esset, in eodem iudicio ab reo pecuniam acciperet, quam iudicibus diuideret, & ab accusatore, ut reum damnaret. Iam uero, quo modo illam labem, ignominiam, calamitatemque totius ordinis conquireret hoc factum esse in hac ciuitate, cum senatorius ordo iudicaret, ut discoloribus signis, iruratorum hominum sententiae notarentur.

## EXPLANATIO

**P**ERICVLYM facere, & in accusando Verre. **I**NNOCENTIAE, abstinentiaeque, & in prouincia, cum apud eos quaestor fuit. **S**VNT homines, & iudices eos designat, qui de sua infamia, de quo odio & offensione populi Romani minimum laborentes, religionem, fidem, ueritatem pecunia uendunt. **I**RRVERE, & cum impetu, nullo pudore, nullo metu legum retenti. **E**X eo loco, & R. ostris. **P**OTENTIAM, & nobiles quosdam, Verri suffragantes, carpit, Curionem, Scipionem, Hortensium, duos Metellos. **I**MPUDENTIAM, & in corrumpendo. **A**AGENTUR, & ut ab accusatore. **T**RANSLATA, & a Sulla: **P**ROPE quinquaginta, & augeat oratorie: anni enim quadraginta, uno amplius, aut altero, a secundo C. Gracchi tribunatu, quo iudicia transtulit ad equites, ad Sullam iterum consulem numerantur. quamquam uidetur mihi Sulla statim post uictoriam, cum dictator est factus, pro insigni contra equites odio iudicia mutare debuisse, non biennium expectare, dum consul iterum feret, quod si ita sit: anni quadraginta erunt, eoque maior Ciceronis oratoria licentia. **N**ULLO equite Romano iudicante, & duriuscule dictum uidetur, pro, numquam, ullo equite Romano iudicante. Nam, quod alij magis probant, Nulla, qui quaero, qui possit illud per se consistere, Equite Romano iudicante. **S**VALATA, & a Sulla: qui prouocationem ad populum sustulit, quo turpius deinde senatores, metu poenae liberati, iudicarunt. **M**INORIS HS xxxm, & si de uniuerfa pecunia, in iudicij corruptionem erogata, loqueretur: crederem legendum, HS tricies milies: quae sunt, scutatorum nonaginta millia, sin de pretio singulorum iudicum: HS triginta millia, ferri potest: ut cuiusque iudicis merces non genti scutati sint. **H**ONESTE, & ut culpa iudicum saltem excusaretur magnitudine mercedis. **S**ENATORE DAMNATO, & senatorum iudicia uituperat, non Hortensium, quo de repetundis quaerente, Septimius damnatus est. **L**IS aestimata sit eo nomine, & accusatus est, & damnatus crimine repetundarum Septimius: sed aestimatio litis eo grauior, & acerbior fuit, quod eum constabat ob rem indicandam pecuniam accepisse. nam eam quoque pecuniam ad litis aestimationem addi iudices uoluerunt. **S**ENATORES, & ad maiorem senatorij ordinis ignominiam, Senatores, dicit: cum unus ille senator fuerit Fidiculanus Falcus: ut in orat. pro Cluentio. **V**ERRE praetore urbano sortiente, & praetor urbanus iudices, qui sederent in causa publica, sortiebatur: reiectioe facta, sub sortiebatur iudex quaestorius: eorumque nomina idem praetor in tabulis referebat: ut lib. I. in extremo. Dicit autem facinus illud, Verre praetore urbano sortiente, contigisse, ut aliqua ipsum quoque Verrem notaret infamia. **I**N EVM reum, & in Oppianicum, accusante Cluentio damnatum. **I**NCOGNITA causa, & ergo suppositi ultimo iudicij die. **I**NVENTVS est senator, & C. Aelium Stalenum significari, docet oratio pro Cluentio. **A**B REO, & Oppianico. **A**B ACCVSATORE, & Cluentio, in ipsa tamen, qua Cluentium defendit, oratione, a reo tantum pecuniam Staleno datam, qua iudices corrumperet, studet probare. Seruit igitur causae, quod oratorum est, in utroque loco, hic, ut infamia notenter senatores, illic, ut absoluat Cluentius. **D**ISCOLORIBVS signis, & diuersi coloris cera tabellis corruptorum iudicum illita, in Hortensium: cuius opera, id agentis, ut nocentes rei ipso patrono absoluerentur, factum id esse credebatur. unde in Diuin. Ceratam unicuique tabellam dari cera legitima, non illa infamia, ac nefaria. Et huc spectat illud supra dictum: Nulla nota, nullus color, nullae fordes uidebantur his sententijs allini posse.



## O R A T I O

**H**AEC omnia me diligenter, seu reg. acturum esse polliceor. quo me tandem animo fore putetis, si quid in hoc ipso iudicio intellexero simili aliqua ratione esse violatum, atque commissum? cum praesertim planum facere multis testibus possim, C. Verrem in Sicilia, multis audientibus, saepe dixisse, se habere hominem potentem, cuius fiducia provinciam spoliaret; neque sibi soli pecuniam quaerere, sed ita triennium illud praeturae Siciliensis distributum habere, ut secum praeclare agi diceret, si unius anni quaestum in rem suam conuerteret, alterum patronis, & defensoribus suis traderet, tertium illum uberrimum quaestuosissimumque, annum totum iudicibus reseruet. ex quo mihi venit in mentem illud dicere, quod apud M. Glabionem nuper cum in reiiciendis iudicibus commemorasset, intellexi uehementer populum R. commoueri; me arbitrari fore, uti nationes exterae legatos ad populum R. mitterent, ut lex de pecunijs repetundis iudiciumque tolleretur. si enim iudicia nulla sint, tantum unumquemque ablatum putant, quantum sibi ac liberis suis satis esse arbitretur: nunc, quod eiusmodi iudicia sint, tantum unumquemque auferre, quantum sibi, patronis, aduocatis, praetoribus, iudicibus satis futurum sit: hoc profecto infinitum esse: se auarissimi hominis cupiditati satisfacere posse, nocentissimae uictoriae non posse. o commemoranda iudicia, praeclaramque existimationem nostri ordinis, cum socij populi R. iudicia de pecunijs repetundis fieri nolunt, quae a maioribus nostris sociorum causa comparata sunt. An iste umquam de se bonam spem habuisset, nisi de uobis malam opinionem animo imbiberet? quo maiore etiam, si fieri potest, apud nos odio esse debet, quam est apud populum R. cum in auaritia, scelere, periurio uos sui similes esse arbitretur. cui loco, per deos immortales, iudices consulite, ac prouidete. morbo, praedicoque id, quod intelligo, tempus opportunissimum uobis hoc diuinitus datum esse, ut odio, inuidia, infamia, turpitudine totum ordinem liberetis. nulla in iudicijs seueritas, nulla religio, nulla denique iam existimantur esse iudicia. itaque a populo R. contemnimur, despiciuntur: graui, diuturna, iam flagramus infamia. neque enim ullam aliam ob causam populus R. tribuniciam potestatem tanto studio requisit: quam cum poscebat, uerbo illam poscere uidebatur, re uera iudicia poscebat. neque hoc Q. Catulum, hominem sapientissimum, atque amplissimum, fugit: qui, Cn. Pompeio, uiro fortissimo, & clarissimo, de tribunicia potestate referente,

cum esset sententiam rogatus, hoc initio est, summa cum auctoritate, usus: patres conscriptos iudicia male & flagitiose tueri: quod si in rebus iudicandis populi R. existimationi satisfacere uoluissent, non tantopere homines fuisse tribuniciam potestatem desideraturos. ipse denique Cn. Pompeius, cum primum concionem ad urbem consul designatus habuit, ubi, id quod maxime spectari uidebatur, ostendit se tribuniciam potestatem restitutum; factus est in eo strepitus, & grata concionis admurmuratio. idem in eadem concione cum dixisset, populatas, uexatasque esse provincias, iudicia autem turpia, & flagitiosa fieri, ei rei se prouidere, ac consulere uelle: tum uero non strepitu, sed maximo clamore suam populus R. significauit uoluntatem. nunc autem homines in speculis sunt: obseruant, quemadmodum se unusquisque uestrum gerat in retinenda religione, conseruandisque legibus: uident, adhuc post legem tribuniciam unum senatorem uel tenuissimum esse damnatum. quod tamen non reprehendunt, tamen magnopere, quod laudent, non habent: nulla est enim laus, ibi esse integrum, ubi nemo est, qui aut possit, aut conetur corrumpere. hoc est iudicium, in quo uos de reo, populus R. de uobis iudicabit. in hoc homine statuetur, possit ne, senatoribus iudicantibus, homo nocentissimus, pecuniosissimusque damnari. deinde est huiusmodi reus, in quo homine nihil sit, praeter summa peccata, maximamque pecuniam, ut, si liberatus sit, nulla alia suspicio, nisi ea, quae turpissima est, residere possit. non gratia, non cognatione, non alijs recte factis, non denique aliquo mediocri uitio tot tantaque eius uitia subleuata esse existimabuntur. postremo ego causam sic agam, iudices; eiusmodi res, ita notas, ita testatas, ita magnas, ita manifestas proferam; ut nemo a uobis, ut istum absoluatis, per gratiam conetur contendere. habeo autem certam uiam, atque rationem, qua omnes illorum conatus inuestigare, & consequi possim. ita res a me agetur, ut in eorum consilijs omnibus non modo aures hominum, sed etiam oculi populi R. interesse uideantur. uos aliquot iam per annos conceptam huic ordini turpitudinem, atque infamiam delere, ac tollere potestis. constat inter omnes, post haec constituta iudicia, quibus nunc utimur, nullum hoc splendore, atque hac dignitate consilium fuisse. hic si quid erit offensum; omnes homines non iam ex eodem ordine alios magis idoneos, quod fieri non potest, sed alium omnino ordinem ad res iudicandas quaerendum arbitrabuntur.

## E X P L A N A T I O

**H**OMINEM potentem, § aut Hortensium dicit: aut hoc fingit, ut solet, ad infamandum Verrem. **VICTORIAE** § quae multo plus exigit, quam quod sibi ac liberis suis uel auarissimus homo cupiat. **IN auaritia**, § in capienda contra leges pecunia. **SCELERE**, § in ipso absoluendo, homine nocentissimo. **PERIURIO** § contemnendis legibus in quas iurastis. iurabant enim iudices omnes, in ferenda sententia nihil se committuros esse contra leges. **CVI loco consulite, ac prouidete.** § cui rei: ut paulo post: **Ei rei se prouidete, & consulere uelle.** **CONTEMNIMUR**, § loquitur ut senator, quia censors eum Gellius, & Lentulus, qui tunc erant, in senatum legerant. anno autem superiore senator

P non



non fuerat. nam a censoribus Philippo, & Perperna, qui ante annos quattuordecim censurâ gesserant, in senatum legi non potuit, cum aetate senatoria nondum esset, de qua suo loco dicemus. **REQVISIT** : 3 qualis ante Sullam fuerat, nam is ualde eam minuit, lege lata, ne, qui tribunus pl. fuisset, et postea magistratus alios capere liceret. **Q. CATVLVM**, 3 eius filium, qui cum C. Mario consul fuit. Simulatam aliquam cum Pompeio gessit, quod eius ope, ac studio consul priore loco designatus erat collega eius M. Lepidus. **CN. POMPEIO** 3 consule. **DE TRIBVNICIA potestate** 3 quam, into consulatu, restituerat : itaque paullo post legis tribuniciae, ab eo latae, mentio fit. **Ad urbem** 3 cum adhuc esset cum imperio : nam urbem ingredientibus imperium deponerent, Pompeius autem ad urbem manserat, ut triumphans ingrederetur, Sertoriano bello confecto. **EI REI se prouidere, ac consulere uelle** : 3 restituenda tribunicia potestate. **IN SPECVLIS sunt** : 3 quia uos, si quid offenderitis, noceri ad populum a tribunis pl. noua lege posse intelligunt. **Post legem tribuniciam** 3 latam a Pompeio de uetere potestate tribunis pl. restituenda. **VNUM senatorem** 3 miror hunc ab Alconio Dolabellam putari, qui multo ante legem tribuniciam, idest ante Pompeium consulem, damnatus erat : cum oppugnatus ac proditus in iudicio sita Verre, ut lib. I. constat : id autem contigisse necesse sit ante quam Verres in Siciliam iret, ubi per triennium fuit. ut omittam, quod e prouincijs, quibus praefuerant, reuersi, statim accusabantur, non post aliquot annos. **NISI EA, quae turpissima est**, 3 absolutum esse uidelicet sua pecunia. **MEDIOCRI aliquo uitio** 3 mediocre initium esset, absolui gratia, cognatione, alijs recte factis : maximum autem, absolui corrupto iudicio, quae in uobis haerebit culpa. **PER GRATIAM conetur corrumpere**. 3 nemo enim audebit, cum obijci uideat eiusmodi res. **NON MODO aures** 3 ut eorum consilia populus Romanus non modo auribus accipiat, sed oculis cernere uideatur. **POST haec constituta iudicia**, 3 senatoria, lege Sullae constituta. **Hoc splendore**, 3 propter integritatem, honoresq. praecclare gestos, nulla turpi macula uitam obscurante. **QVOD fieri non potest**, 3 hie iudicibus beneuolentiam capiat : cum uero subiungit, Sed alium omnino ordinem, metum inijcit mutandorum iudiciorum, ita duabus causis impellit eos ad seuerè iudicandum.

## O R A T I O

**Q**UAPROPTER primum ab dijs immortalibus, quod sperare mihi uideor, hoc idem, iudices, peto, ut in hoc iudicio nemo improbus praeter eum, qui iam pridem inuentus est, reperiatur. deinde, si plures improbi fuerint, hoc uobis, hoc populo R. iudices confirmo, uitam mehercule mihi prius, quam uim persecuerantiamq. ad illorum improbitatem persequendam, defuturam. Verum, quod ego laboribus, periculis, inimicitijsq. meis tum, cum admissum erit, deditus se uere me persecuturum esse polliceor ; id ne accidat, tu tua sapientia, auctoritate, diligentia, M. Glabrio, potes prouidere. suscipe causam iudiciorum : suscipe causam seueritatis, integritatis, fidei, religionis : suscipe causam senatus, ut is hoc iudicio probatus cum populo R. & in laude, & in gratia esse possit. cogita, qui sis, quo loco sis, quid dare populo R. quid reddere maioribus tuis debeas. fac tibi paternae legis Aciliae ueniam in mentem : qua lege populus R. de pecunijs repetundis, optimis iudicijs, seuerissimisq. iudicibus usus est. circumstant te summae auctoritates, quae te obliuisci laudis domesticae non sinant, quae te dies noctesq. commoneant, fortissimum tibi patrem, sapientissimum auum, grauissimum socerum fuisse. quare, si Glabronis patris uim & acrimoniam ceperis ad resistendum hominibus audacissimis ; si aui Scaeuolae prudentiam ad prospiciendas infidias, quae tuae, atque horum famae comparantur ; si soceri Scauri constantiam, ut ne quis te de uera, & certa possit sententia dimouere : intelliget populus R. integerrimo, atque honestissimo praetore, delectoq. consilio, nocenti reo magnitudinem pecuniae plus habuisse momenti ad suspicionem criminis, quam ad rationem salutis. mihi certum est non committere, ut in hac causa praetor nobis, consiliumq. mutetur. non patiar rem in id tempus adduci, ut Siculi, quos adhuc

serui designatorum consulum non mouerunt, cum eos nouo exemplo uniuersos arcesserent, eos tum liitores consulum uocent, ut homines miseri, antea socij, atque amici populi R. nunc serui, ac supplices, non modo ius suum fortunaeq. omnes eorum imperio amittant, uerum etiam deplorandi iuris sui potestatem non habeant : non sinam profecto, causa a me perorata, XI diebus interpositis, tum nobis denique respondeant, cum a causatio nostra in obliuionem diuturnitate adducta sit, non committam, ut tum res iudicetur, cum haec frequentia totius Italiae Roma discesserit, quae conuenit uno tempore undique, comitorum, ludorum, censendae causae. huius iudicij & laudis strictum, & offensionis periculum, uestrum ; laborem, sollicitudinemque, nostram ; scientiam quid agatur, memoriamq. quid a quoque dictum sit, omnium puto esse oportere. faciam hoc non nouum, sed ab his, qui nunc principes nostrae ciuitatis sunt, ante factum, ut testibus utar statim. illud a me nouum, iudices, cognoscetis, quod ita testes constituam, ut crimen totum explicem : ubi id interrogando, argumentis, atque oratione firmauero, tum testes ad crimen accomodem, ut nihil inter illam uisitatum accusationem, atque hanc nouam intersit, nisi quod in illa tunc, cum omnia dicta sunt, testes dantur, hic in singulas res dabuntur, ut illis quoque eadem interrogandi facultas, argumentandi, dicendiq. sit. si quis erit, qui perpetuam orationem, accusationemq. desideret ; altera actioe audiet, nunc id, quod facimus, ea ratione facimus, ut malitiae illorum consilio nostro occurramus, necessario fieri intelligat. haec primae actiois erit accusatio. Dicimus C. Verrem, cum multa libidinose, multa crudeliter in ciues R. atque in socios, multa in deos, hominesq. nefarie fecerit, tum praeterea quadringenties sestertium ex Sicilia contra leges absumisse, hoc testibus,



*sibus, hoc tabulis, priuatis publicisq. auctoritatibus habuissimus, tamen oratione longa nihil opus fuisse. ita nobis planum faciemus, ut hoc statuat, etiam Dixi. si spatium ad dicendum nostro commodo, uacuosq. dies*

EXPLANATIO

**P**RAETER eum, & praeter ipsum Verrem. **QVI iam pridem inuentus est,** & cuius nota iam pridem improbitas est. **POTES providere,** & ne quis eorum, qui tibi in consilio adsunt, corrumpatur. Et in laude, & in gratia & qui nunc & infamia, & in odio propterea est, quia iudicia male, flagitiosq. administret. **QVI SIS,** & praetorem te esse. **QVO LO CO SIS,** & summa dignitate. Locum pro dignitate usurpat alibi quoque, ut lib. I. Hominem ornatissimum loco, ordine, nomine, uirtute. Ad Terentiam, & Tulliam: Videte, quid aliae faciant isto loco feminae. Opinionem Pediani de tribunalibus non probo. nam in eo, **Qui sis,** praeturae significatio continetur: ut addere de tribunalibus non sit necesse. **QVI DARE populo Romano,** & qui tibi praeturam mandauit. **QVI D REDDERE maioribus tuis** & quam ab ijs laudem accepisti, eandem redde. **PATERNAE legis Aciliae** & repetundis: quae comperendinationem adimebat, ampliandi potestatem dabat. lib. I. **AVVM** & Scaeuolam, auum maternum. nam Glabrio gētis Aciliae, Scaeuola Mucia fuit. In Bruto: M. Glabrio, bene institutum aui Scaeuolae diligentia, socors ipsius natura negligensq. tardauerat. **SCAURI constantiam,** & Scauri constantiae multa suppetunt exempla: quorum nonnulla Pedianus commemorat in orat. pro Scauro. Cicero ipse ad Lentulum, Est uero, inquit, probandum, eum ob id ipsum fractum fuisse animo, in quo cum omnes homines, tum M. illum Scaurum, singularem uirum, constantia & grauitate superasset. Eiusdem constantia laudatur in orat. pro Fonteio, Principem senatus fuisse, significat in oratione pro filio. **XL DIEBUS interpositis,** & a nonis Sext. quo die agi coepta est causa, ad ultimum diem ludorum Romanorum. supra. **A QVO QVE** & a quoque teste. quod sequentibus intelligitur. **OMNIUM** & ut omnes aequae sciamus, & memoria teneamus, quid a quoque dictum sit. **QVI NUNC principes nostrae ciuitatis sunt,** & L. & M. Lucillos ait Pedianus eos fuisse, qui testibus ad singula crimina in accusando L. Cotta statim usi sint. **UT CRIMEN totum explicem:** & sensus hic uidetur esse. ita testes constituam, ut, cum eos interrogabo, omnes cuiusque criminis partes explicem: ut, ubi crimen totum interrogatione, argumentis, oratione firmauero, tum eosdem testes ad crimen accommodem, & Hortensio defensori interrogandos tradam: ut, post interrogationem, ipse quoque argumentandi, ac dicendi facultatem habeat. Hoc infra apertius. **ILLIS** & qui Verrem defendent. **EADEM** & quae mihi. **ALTERA actione** & dixi iam, comperendinatione iterum agenda causa potestatem esse datam, non eodem tamen ordine. nam actione prima primus accusatori ad dicendum locus dabatur: tum defensor respondebat. actione uero altera, prior locus erat defensoris, posterior accusatoris. Cum igitur ait, **Actione altera:** suam posteriorem accusationem, dicta iam bis a defensore causa, significat. **EA RATIONE facimus,** & dele, Facimus; uitij nihil erit in sententia. quod Asconius animaduertit. **QUADRINGENTIES** & duodecies centena scutatorum millia. **VACUOSQ. dies** & qui ludis occupabuntur. **DIXI,** & finis orationis, non tamen actionis, quam testes, tabulae, priuatae publicaeq. auctoritates, contra reum prolatae, absoluebant.





IN · LIBRVM · I · ACTIONIS · II  
CICERONIS · IN · VERREM  
PAVLLI · MANVTII  
COMMENTARIVS



ARGVMENTVM



*M*ALITIAM Verris, & Hortensij, Ciceronis consilium uicit. Illi, causae diffisi, spem omnem in sequentis anni praetore M. Metello, & in ipso patrone Verris, Hortensio, Quintoq. Metello, qui futuri consules erant, reponentes, curam omnem industriamq. suam in eximendo tempore, ducendaq. re defixerant. Contra Cicero, cognitis insidijs, omissa oratione perpetua, causam per testes, tabulas, auctoritates egit: interrogandi testes, argumentandi, dicendiq. facultate Hortensio tradita, orationem illi quoque perpetuam eripuit. quo deterritus Hortensius, desperato patrocinij sui exitu, agendae causae consilium abiecit: Verres autem ipse, tamquam conuictus, in exilium sponte discessit. Sequentes igitur quinque libros Cicero, quasi praesentem Verrem altera actione accusaret, ad eloquentiae laudem conscripsit. huius autem primi libri prooemio nihil aliud agit, quam ut Verres adesse, defendiq. iterum ab Hortensio, comperendinationum more, uideatur. deinde ad accusandum aggreditur, a quaestura Verris initio sumpto.

